



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Tempore

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1631

Generalis Admonitio De Operibus P. Lanspergij nouiter excusis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47044](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47044)



GENERALIS AD MONITIO DE
Operibus P. Lanspergij nouiter excusis.

Multa quidem fuerunt, ex quibus calcar additum est pro nouâ editione: nihil autem ita impulit, quam pietas huius Scriptoris. Etsi enim aliqui conquererentur, vetera Exemplaria nullibi pro pecunia emi posse: & quidam Religiosi Viri pro multorum solatio ad secundam impressionem cohortarentur: illa tamen tanti momenti apud me non fuerunt, quam vita & sanctitas Auctoris. In hanc sententiam mecum conspirabunt, quotquot librorum spiritualium gustum experimentalem consecuti sunt. Quis enim nesciat, multum referre, à quo liber aliquis conscribatur? Hinc sæpè contingit, vt aliquis tractatus repariatur subtili ingenio, acri iudicio, & singulari methodo conscribitur: ex cuius tamen lectione animus nullum capiat sapientiæ internæ lumen, nullam quoque diuini amoris scintillam percenscat: quin etiam aliquando caligine quadam & tanquam frigida aquâ perfundatur, ita vt obscurior ac tepidior abicedat. Econtra non nunquam accidit, vt exiguus libellus (& forsan à multis contemptus) interiori hominem miti modo illustret, compungat, eleuet, inflammet, & ad DEVM (qui noster Finis est) dulciter & amorosè conuertat: ita vt interdum Lector vnico die, imò vnica horâ inueniat incomparabiles diuitias salutis æternæ vitæque cælestis. ad quâ vitam nullus pertinget nisi per veram mentis conuersionem; ex quo fundamento postmodum alia totius ædificij partes consurgunt, donec ipsum fastigium domui imponatur. Quæ autem huius diuersæ operationis (quam Lector ex libris assequitur) causa principalis sit, etsi forsan quidam curiosè sciscitari possent, & variæ rationes queant adduci: in vnam tamen reliquis omiſſis oculus coniecturæ hæc vice collimat. Quæ igitur est illa? Sanctitas vitæ, per varias tentationes, per multa aduersa, per diuersa mentis corporisque exercitia enutrita & confirmata: quæ per multos labores & longa annorum spatia magnum meritum colligit, tandem per Diuinam admonitionem seu inspirationem ad scribendum se componit, ex diuturno vsu & praxi omnia scribit, ex charitate mouetur, & ad nihil aliud respicit quam ad DEI honorem, & proximorum salutem. Huic deinde Bonitas Diuina hanc gratiam ac benedictionem largitur, vt in illius scriptis vita & lux deliteat, & vsque ad finem sæculi perseueret. Huius generis sunt scripta S. Augustini, S. Bonauenturæ, Ioannis Rusbrochij, Thomæ Kempensis, & aliorum: quibus Lanspergij adiungo, non ex proprio affectu sed ex aliorum censura, quin etiam ex effectu experimentalis. Legat pius Lector, aduertat motus suos internos, ac deinde pronunciet iuxta regulam rationis ac veritatis.